

§. V.

Flammantes acies superum, & aulae stellantis alumni, *Angeli*, significantissimo Militum titulo in Scripturis non raro condecorantur. Sic concionanti post exoptatam Christi natiuitatem angelo subito multitudo *σρατιῶν ἑρανίσ* adfuisse dicitur *Luc. II, 13.* Ipse Salutis nostrae magister in legiones angelos distribuit *Matth. XXVI, 53.* Vbi notandum: quod Macedones olim *Phalangem*, peditum stabile agmen, teste CVRTIO Lib. III, cap. II. quod Galli & Hispani *Cateruam*, obseruante VEGETIO (h) de Re Milit. Lib. I. id Romani nominabant *Legionem*, annotantibus LIVIO Hist. Lib. VIII, cap. VIII. Lib. VII. cap. XXV. Lib. XXIX, cap. XIV. DIONYSIO HALICARNASSAEO Lib. VI. IX. IVSTO LIPSIO Lib. I. de Militia Roman. Dial. V. Legio autem vocabatur agmen Militare, constans HESYCHIO autore, viris sexies mille sexcentis & sexaginta sex (*λεγεὼν πλῆθος στρατεύματος ἢ τάγματος ἕξ χιλιάδων ἑξακοσίων ἑξήκοντα ἕξ*); secundum SVIDAM vero *ἑξακισχίλιοι στρατιῶται* confecere legionem. Cum die sexto perfectus iam staret creaturae orbis, creationis illius hexaëmeri mirabilis plane & ordinatissimae compendium, *ἀνακεφαλαίωσιν* & recapitulationem, Gen. II, 1, his verbis instituit Moses: **וַיְכַלּוּ הַשָּׁמַיִם וְהָאָרֶץ וְכָל-צְבָאָם** **וַיְכַלּוּ הַשָּׁמַיִם וְהָאָרֶץ וְכָל-צְבָאָם** (h. e.

(h) FLAVII VEGETII RENATI Institutionum Rei Militaris Libri quinque supersunt, in quibus explicandis multum operae studii-que collocauerunt viri docti. Post HERMOLAVM BARBARVM, post GVILIELMVM BVDAEVM, aliosque, ex multis codicibus manu exaratis recensuit eos notisque illustravit GODESCALCVS STEWECHIVS Lugduni Batauorum ann. MDXCII. Eisdem in lucem emisit FRANCISCVS MODIVS, recognitos, emendatos & adnotationibus illustratos, Coloniae MDLXXX. Edidit & PETRVS SCRIVERIVS Vegetium, adiecto Correctionum Militarium Libro, Lugduni Batauorum ann. MDCXLIV. Prodiit quoque anno MDCLXX. Vefaliae Cliuorum ex officina ANDREAE ab HOOGENHVYSEN, cum notis STEWECHII, MODII, & SCRIVERII. Versionem tandem eiusdem Gallicam adornauit publicique iuris fecit IOANNES IACOBVS de WALLHAVSEN Francofurti MDCXVI.